

Q. F. F. Q. S.

DISSE²⁰RAT²⁰O PHILOSOPHICA,
DE
NORMA ET JUDICE

CONTROVERSIARUM PHILOSOPHICARUM,
QUAM,

*Consent. Ampl. Facult. Philosoph. In Regia
Academia Aboënsi*

P RÆS I D E,
MAXIME REVERENDO atque CELEBERRIMO VIRO
**D^{NO.} CAROLO
MESTERTON,**

S. S. Theol. Doct. Log. & Metaph. Prof. Reg. & Ord.
Publicæ candidorum censuræ exercitii gratia defert

HENRICUS CALONIUS,

WIRBURGENSIS.

Die VII. Novembr. Anni MDCCLIX.

L. H. Q. A. M. C.

ABOÆ, Impressit DIRECT. & TYPOGR. Reg. Magn. Duc.
Finland. JACOB MERCKELL.

PLURIMUM REVERENDO atque PRÆCLARISSIMO
**DNO. M A T T H I Æ
C A L O N I O,**


Pastori Ecclesiæ, quæ DEO in parœcia Saarjerfvi-
ensi colligitur, longe meritissimo, Parenti in-
dulgentissimo; omni filiali cultu ad ci-
neres colendo.

Quantum anima, corpoream quamcunque, et-
jam artificiocissime constructam molem ex-
cellentia superat; tanto etiam majori cura atque
industria, vires ipsius præ corporis excoli, & ad
debitam, quantum fieri potest, perfectionem eve-
hi debent. Fit autem hoc; si tenera ætas, jugi-
ter & qua par est fide, bonis imbuatur literis. Hæ
enim, artes loquor liberales, discussis tenebris,
quibus inculta mens laborat; animum radiis suis
mirum quantum illustrant. Hæ voluntatem in
diversa flexilem, ad bonum distincte cognitum
determinant; sicque nos virtutis tramite incedere,
moresque lecta virtute perficere docent. Factum
est hinc, ut non eruditii solum, studium earum
urgeant, Principes statutis, privilegiis, nec non
sumtibus publicis promoveant; verum etiam pa-
rentes, de vera liberorum felicitate solliciti, præ
ceteris curent. Hoc ipsum TIBI quoque indulgen-
tissime Parens; semper curæ cordique fuit. Ipse
quippe non tantum saluberrimis præceptis, tene-
ram

ram ætatem ad scientias addiscendas præparasti;
verum etiam in castris minervæ militanti, sumti-
bus necessariis subvenisti, nihilque eorum præ-
termisisti, quæ mihi profutura nosti. TIBI itaque
post DEum, omnes qualescumque denique sint; a-
nimi corporisque perfectiones debeo. Hisce autem
ut & aliis innumeris tuis beneficiis dignum, quod
referam non habeo: suscipe igitur ea qua soles,
carissime Parens benignitate, has ruditis meæ mi-
nervæ primitias; quas TIBI ut signum animi gra-
tissimi, ut sumtuum tuorum fructus, immaturos
licet & non satis congruos dicatas volo. Meum
erit supremum Numen, supplex venerari atque ob-
testari, velit TE Parens Optime, in Ecclesiæ emolumentum
TUI Tuorumque gaudium & veram
felicitatem, salvum sospitemque diu, & ex omni
parte florentem, ad Nestorem usque ætatem præ-
stare, sic voyet & semper ex pectore vovebit!

SVAVISSIMI NOMINIS PATERNI.

Filius obedientissimus
HENRICUS CALONIUS.



I. N. J. C.

§. I.



Ubio cum careat, quod omnes
sani docent philosophi, cogni-
tionis scilicet nostræ veritatem
& perfectionem, in idearum
nostrarum, cum rebus cognoscendis, convenientia consistere:
suspici non fas est, philoso-
phiam esse commentum cerebri humani, extra in-
tellectum nihil habens, quod sibi in rebus ipsis re-
pondeat, Veritatem enim in profundis rerum la-
tebris delitescentem; intellectus summa cum fa-
gacitate investigat, investigatam eruit, erutamque
ad usum aliquem convertit. Patet itaque hinc,
sole clarius meridiano, res nullo modo se intelle-
ctui; cognoscentis accommodare; sed hunc ab il-
lis tantum modo affici. Quod cum ita sit, indi-
gnum

gnum sane erit, hominibus ratione ejusque usu
præditis; hujus vel illius Philosophi placitis, se
per omnia mancipare. Nemini enim mortalium,
tantum ingenii obtigit acumen, ut in rerum inti-
mos recessus, omni ex parte accurate introspicere
valeat, rerumque de quibus inter eruditos disce-
ptari solet, ubique adferre rationes, tanta se com-
mendantes perspicuitate atque evidentia, ut ad
hunc tanquam oraculum quoddam erroris nescium,
tuto provocare liceat, imprimis cum experientia
abunde evincat, quemvis hominum, spissa mentis
caligine obrutum nasci. Temerarium proinde fo-
ret, non tam attendere ad ea, quæ dicuntur;
quam ad ejus auctoritatem nominisque celebrita-
tem, qui huic vel illi sententiæ se addictum
profitetur. Sit amicus Socrates, amicus Plato,
amicus summus ille Aristoteles: ast horum omnium
amicitia, cedat sincero veritatis amori. Hæc pau-
ca nostro præfati instituto; ad rem ipsam acce-
dimus.

§. II.

IN expositione vocabulorum, quibus philosophica
hæc nostra inscribitur exercitatio; liceat nobis
eo breviores esse, quo magis ea cuilibet vel pa-
rum in disciplinis versato, familiaria non autem
obscura & peregrina sunt. *Norma* & *Judex* nihil
diversi nobis significat, sed utrumque vocabulum
unum illud indigit, quo sententia quædam vel

plures disquisitioni subiectæ, dijudicantur, num veræ sint, an vero falsæ; quo illam sic clarius & evidentius cognoscamus & ab hac secernamus. *Controversia* autem titulo insignimus, contrarias sibi invicem de re aliqua sententias, quæ non modo inter se conferuntur, rationes redduntur, cunctæque norma quadam judicantur, sed in unaquaque etiam perspicitur, quid verum quidve erroneum sit, ut sic veritas exquiratur aut conservetur.

§. III.

PRæmissis hisce, labor noster imprimis versetur in enodanda quæstione: quænam norma controversiarum philosophicarum, quis judex earundem esse possit aut debeat? ad hoc rei momentum quod attinet, cuilibet abunde persuasum esse existimamus, nihil aptum atque idoneum, ad utriusque munus sustinendum, nisi ipsum rerum philosophicæ cognitionis principium fore: cum illud norma & judex controversiarum audiat, secundum quem judicium, de sententiarum disquisitioni subjectarum veritate aut falsitate fertur. Veritas & falsitas pronuntiatorum & quidem philosophicorum jam consideratur; quippe quæ notitiam, eiusdem generis, veram vel falsam exprimunt. Sunt autem veritates cogitata, vel in alia consideratione pronuntiata, quæ principiis cognitionis congruunt; errores contra ejus generis cogitata vel pronuntiata, quæ principiis haud conveniunt. Veri-

Veritas ergo ut & error ; ex illis principiis diju-
dicetur oportet. Erunt itaque hæc principia, o-
mnis nostræ cognitionis norma, & per conse-
quens, nostro etiam sensu, judex veritatis & er-
roris, normaque sententiarum de quibus contro-
vertitur, ceu quod perinde est, ipsarum contro-
versiarum.

§. IV.

CUM principia cognitionis per demonstrata,
sint norma & judex controversiarum philo-
sophicarum ; inquirendum jam erit, quænam hæcce
sint principia. Illud optima ratione fieri posse ex-
istimamus ; si ad diversa rerum genera, animum
advertamus. Experientia docti, res duplicitis impri-
mis esse generis novimus : alia ejus sunt indolis,
ut ad earundem notitiam, absque aliorum insti-
tutione vel traditione, nobis pertingere haud li-
ceat ; alia ita comparata sunt, ut si modo ad ipsas
res cognoscendas attendamus, notitiam earum so-
lo lumine naturali, citra aliorum traditionem,
comparare queamus. Si itaque de veritate vel fal-
sitate, rerum prioris generis, judicium ferendum
erit ; acquiescamus oportet, in eorum testimonio
qui id relatum reliquerunt. Hoc autem fieri ne-
quit, nisi de eo firmiter persuasi simus, quod non
modo omnes facti circumstantias, sibi perspectas
habuerint ; cum vel ipsi, testes oculati idemque at-
tenti fuerint, vel etiam testi cùdam oculato, sua
acce-

accepta referant: verum etiam quod nihil cando-
ris in iis ipsis desideretur; cum omnis exulet su-
spicio, eos vel studio falsa fingere, vel ob causam
quamcunque, veritatem reticere voluisse, quæ o-
mnia ex principiis moralibus dijudicanda erunt.
Hunc itaque cognitionis fontem; non incongrue
principium auctoritatis nominamus. Ast cum res
hujus generis, objectum philosophiæ non sint; nec
principium earum, norma & judex controversia-
rum philosophicarum erit. His breviter notatis;
videamus jam, quodnam principium rerum, solo
naturali lumine cognoscendarum, simulque ipsius
philosophiæ sit.

§. V:

NULLA veritas philosophica, primum ac solide
cognosci potest; nisi ad rem ipsam, quæ co-
gnoscenda est, omnes ingenii nostri vires adpli-
cemus. Veritas talis in concreto, ut loquuntur,
consistit in cogitationum nostrarum, cum ipsis prin-
cipiis convenientia; & speciatim philosophica ea
est, quæ rei ipsi congruit; conflata ea quasi est,
ex cogitatis & convenientia cum ipsa re. Mentis
nostræ subsidio formantur quidem cogitata, cuius
effectus omnino sunt; ast vera euadere nequeunt,
nisi orientur, ex ipsa re repræsentata, cum qua per
omnia conspirare debent; aliud enim nihil super-
est. Sola ergo res offert, veritatem philosophi-
cam; & per consequens sola erit, principium phi-
losophiæ.

Iosophiæ. Nec deinde fieri potest, ut alia quadam ratione, in philosophia, vera cogitata, in nobis quasi excitentur; quam vel fingendo, vel rem ipsam cognoscendam contemplando. Fingendo nisi plane in errorem rapiamur; veritatem nostram non pri-
mum nec solide cognoscimus. Idem judicium esto de iis; quæ ab aliis hominibus traduntur. Sola ergo iterum restat, res ipsa consideranda; quod usus rerum nos quoque docet.

§. VI.

Posset quidem alicui primo obtutu videri, no-
strum cognitionis principium, hac ratione po-
situm, cum objecto, quod vulgo vocant, confun-
di; adeo ut hoc inter & illud, nihil plane inter-
fit. Sed nullius momenti est hæc dubitatio, si
modo consideretur, *objecrum* nobis ut & aliis sem-
per esse rem, quatenus in ea cognoscenda versa-
tur mens; *principium* vero illud, quod menti ali-
quid cognoscendum offert. Nec itaque rem qua-
tenus *objectum* est & illud constituit, *principium*
diximus: neque hoc, quatenus fons cognitionis
est, *objectum* statuimus. Adeoque nulla est confu-
sio, sed in diverso rem considerandi modo, præ-
cipuum momentum positum est:

§. VII.

Nec deinde in contrarium inde peti potest quod-
dam

dam argumentum, quod rerum natura tam obscura videatur, ut vix ac ne vix quidem cognosci queat; cum tamen principium cognitionis euidens ac perspicuum esse debeat. Sed facilis ad hoc ipsum est responsio. Nimirum non speciatim naturam, sed rem generatim consideratam; cognitionis naturalis principium esse adfirmamus. In re enim, non istius natura tantum, sed proprietates quoque accidentia & modi inveniuntur. Deinde substantiarum & modorum quorundam naturalium, indoles tantum obscura est; moralium vero vis, clara admodum & perspicua reperitur. Ad hæc quis neget; imprimis cum illa possit, vel minimum a posteriori, & licet non semper certa, tamen probabili ratione cognosci.

§. VIII.

NUllum porro inde nostro asserto imminet periculum, quod res tam late pateat, ut quis ignorare possit, quænam res doctrinæ cujusdam singularis principium sit; quo intuitu principium nostrum, obscurum omnino dicendum erit. Sed hoc ipsum levioris instar momenti, habendum est. Cum enim nos differamus, de principio omnis cognitionis philosophicæ; non potest non illud esse latissimum. Deinde quamvis hoc amplissimum sit; ad quamlibet tamen meditationem accommodari potest. Per rem omne illud intelligimus, quod cognoscendum est, vel in quo cognoscen-

gnoscendo versamur. Hinc res quælibet de qua cogitamus, hujus quoque cognitionis, principium speciale & satis evidens esse poterit.

§. IX.

PAucissimis hisce probatum speramus, neque rationem, sive ipsum intelligas intellectum, si-
ve notitiam rerum, lumine naturali acquisitam,
sive aliud quid a re diversum; neque celeberrimum
quemcunque philosophum; sed rem tantum modo ipsam, unicum & optimum, cognitionis phi-
losophicæ principium constituere. Hunc itaque
cognitionis philosophicæ fontem, si studiose quis,
in excolendo philosophiæ studio rimetur; is pri-
mum veram consequetur philosophiam.

§. X.

Solidam notitia dicitur ea, patentibus omnibus philosophis, quæ optimis innixa est fundamen-
tis, jam optima omnis cognitionis fundamenta
sunt ipsi fontes & principia. Fons philosophiæ
res ipsa est. Notitia itaque quæ hac fundatur,
optimo nititur fundamento; adeoque non potest
non esse solida, quæ philosophiæ cultoribus, ma-
ximum spondet usum.

§. XI.

PHilosophia, quæ nostro nititur principio, per-
spicua

spicua quoque & præ ceteris manifesta est. Exemplis a re petitis, teste rerum usu, optime illustrantur disciplinæ; ut ceteræ, sic imprimis quoque philosophicæ. Jam autem, si philosophia ex re ipsa cognoscitur; semper exempla a re petita, ante oculos posita sunt, teste experientia. Re ipsa ergo optime illustratur philosophia; adeoque non potest non, satis perspicua & evidens esse.

§. XII.

Res ipsa accuratos præterea, constituit fines ac terminos, quibus circumscribenda sit philosophia, & extra quos, illi divagari haud liceat. Continetur nempe hæc iis tantum, quæ ex consideratione ipsius rei fluunt; si autem jam philosophia ex ipsa re dependet, res, ipsi principium adæquatum erit necesse est. Adeoque nec arctioribus circumscribenda est cancellis, nec magis adstringenda, nec denique fines ejus longius profundi, quam ipsa res patitur. Illis ergo continetur limitibus, quæ ex ipsa re eliciuntur. Hinc conficitur, non opus esse, in subsidium ut vocetur notitia paganorum; cum sufficiat rem tantum modo considerasse.

§. XIII.

EClectici philosophi, quorum est, re ipsa satis & plene considerata, præcipuisque veritatibus cognitis;

cognitis; aliorum philosophorum sententias eorumque placita perspicere, examini eadem subiicere, vera a falsis discernere, illa retinere atque in sua transferre cogitata, hæc autem vitare: illi quoque recta ad veram philosophiam ducuntur via, si rem ipsam & quæ in ea invenire licet, primum considerent, atque deinde collationem, aliorum inter placita instituant; quo sic ea, quæ rei congruunt, suo approbent calculo, quæ autem a veritate abhorrent, reiiciant.

§. XIV.

QUOD reliquum est, inter fructus nostros, illum qui singularis est, maxime quoque referre debemus: quod scilicet controversiae philosophicæ, hac ratione optime dirimi decidique possint. Unusquisque igitur, qui rectius sentit, ex his intelliget; quanta principii hujus utilitas sit, & quid boni inde in omnes philosophicæ studiosos redundet. Qua propter coronidis loco, nihil magis optandum ducimus, quam ut omnes, qui se philosophicæ studio consecrarunt; hoc principio quam diligentissime utantur, & aliquid illius generis meditando, & controversias Philosophicas, secundum hanc dirimendo.

Finis.

